



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Sacerdotii Origine & Præstantia - Variis item Industriis, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad Dei gloriam suámque & Proximi salutem promovendam sunt usi ; Malorum Qvoque Sacerdotum infelici interitu, radicibus, & remediis Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1681**

Membrum 8. De sacris Ordinibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48600)

Accende, Domine, mentes eorum, & corda ad amorem gratiæ tuæ, ut illuminati vultu splendoris tui fideliter tibi in sancta Ecclesia deseruiant. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

## OREMUS.

Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne DEUS, qui ad Moysen & Aaron locutus es, ut accenderentur lucernæ in tabernaculo testimonii bene & dicere dignare hos Famulos tuos, ut sint Acolythy in Ecclesia tua. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

## OREMUS.

Omnipotens sempiterne DEUS, fons lucis, & origo bonitatis, qui per JESUM Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque Passionis mysterio redemisti, bene & dicere dignare hos Famulos tuos, quos in officium Acolythorum consecramus, poscentes clementiam tuam, ut eorum mentes, & lumine scientiæ illustras, & pietatis tuæ rore irriges, ut ita acceptum Ministerium, te auxiliante, peragant, qualiter ad æternam retributionem pervenire mereantur. Per eundem Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

VIII. Posthæc suggerente Archidiacono Ordinati redeunt ad loca sua.

## MEMBRUM VIII.

## DE SACRIS ORDINIBUS.

I. SACRI *b.* & Majores *c.* Ordines sunt, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, ad quos ordinati omnes debent communicare, ideo parentur pro eorum numero hostiæ parvæ consecrandæ.

*B.* Et si juxta communioem sententiam etiam Minores Ordines



Ordines verum sint Sacramentum, atque adeò sub hoc respectu etiam *Sacri* meritò dicantur, hoc tamen loco pressius nomen *Sacri* accipitur pro tali Ordine, qui votum Continentiæ ex institutione Ecclesiæ annexum habet, & per quod Ordinati DEO & Ecclesiæ sic consecrantur, ut Matrimonium & Statum Laicalem in perpetuum evitare teneantur, ob quam causam ejusmodi Sacri Ordines inter impedimenta Matrimonium dirimentia numerantur.

C. Sic dicti, quia proximè ad S. Eucharistiam, à qua Ordo omnem Sanctitatem accipit, accedunt, Sacerdos quidem illam conficiendo, Diaconus etiam dispensando, Subdiaconus vasa sacra & materiam subministrando; & ideo ex his Ordinibus nunquam plures simul eodem die, ut in Minoribus fieri consuevit, conferuntur, sed & certa etiam interstitia ordinariè observari præcipiuntur, tum ut majori reverentia & præparatione ad eos accedatur; tum, ut tanti ministerii gratia magis æstimetur; tum ut Ordo jam susceptus exerceatur, antequam, altior suscipiatur, & ad illum promerendum pietatis & virtutum merita augeantur.

MEMBRUM IX.

DE ORDINATIONE SUB-  
DIACONI.

I. **P**ro Ordinatione Subdiaconorum *d.* parentur calix vacuus *e.* cum Patena superposita *f.* Urceoli cum manutergio, & liber Epistolarum. *g.*

*D.* Sic dicti, quia inferiores sunt Diacono, eisque instrumenta ministrant, per quæ serviat Diaconus Presbytero.

*E.* Quæ est partialis materia hujus Ordinis, & materiam Presbyteratus ex hoc capite distinguit à Subdiaconatus materia, quòd Presbytero calix vino instructus, non item Subdiacono offeratur.

*F.* Quæ itidem ob eandem causam vacua esse debet.

*G.* Qui est altera partialis materia hujus Ordinis juxta communem sententiam.

II. Aco-